

1986-05-26 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Contingenter Magna’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

CONTINENTER MAGNA

**BEATA MARIA VIRGO SUB TITULO «VIRGEN BISILA» CONFIRMATUR
ARCHIDIOECESIS MALABOËNSIS CAELESTIS PATRONA**

Ad perpetuam rei memoriam. – Continenter magna cum veneratione fideles Beatissimam Virginem Maria prosequuntur atque sollicitudines ad eam curasque deferre consuerunt. Nos quoque singulari erga ipsam permoti pietate, vehementer gaudemus si eiusdem laudes honoresque apud Dei plebem dilatantur. Eandem quidem rationem ineuntes, cum populus tum clerus Malaboënsis archidioecesis vera sanctaque religione Beatam Mariam Virginem sub titulo «Virgen Bisila» in sanctuario eodem nomine nuncupato colunt. His respectis rebus, efflagitavit Venerabilis Frater Raphaël M. Nze Abuy Archiepiscopus Malaboënsis, ut Nos Caelestem Matrem, quam fideles sibi Patronam, se probante, delegissent, auctoritate Nostra apostolica comprobaremus, ad normam «Instructionis de Calendariis Particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30. Nos, pro comperto quidem habentes omnia ad iuris praescripta esse acta, arbitrantes praeterea rem posse communitatis Malaboënsis fidem augere atque pietatem, animo quam aequissimo expostulationibus concedimus. Itaque, iis probatis quae Congegatio pro Cultu Divino de re statuit factis a Nobis facultatibus, placet Beatam Mariam Virginem sub titulo «Virgen Bisila» archidioecesis Malaboënsis caelestem patronam esse et haberi, cum iuribus atque privilegiis, quae hunc honorem consequi solent secundum rubricas, quibusvis contrariis non obstantibus. Denique, Mariam, Ecclesiae Matrem, pectore ab imo precamur ut populum tam carum sibique devotum Ipsa custodire velit.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVI mensis Maii, anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*